



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

§. II. Jactantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

bet, qui opprobriis plenam vitam duxit, eaque ita amavit, ut iis saturari voluerit.

§. II.

Jactantia.

Jactantia sæcularibus etiam hominibus est odiosa; at in iis, qui veram pietatem profitentur, longe est detestabilior. Ex simplicitate nonnulli cuncta sua bona opera omnibus narrant, gratias quas a Deo accipiunt, omnesque cordis sui latebras: imprudentes saltem hi sunt; & interdum vani; etenim *sacramentum regis abscondere bonum est (Tob. 12.)*. Non ad omnes, qui audiunt, hæc pertinent, & hæc narratio ridiculos aut vanos ostendit, qui ista recitant, & pietatis opera contemptui exponit.

Jactantia, ut eam communiter Theologi definiunt, est inordinata propriæ excellentiæ manifestatio ultra id, quod in se est, aut alii judicant. Ex inordinatione præcipue est peccatum; nam si ex caritate quis loquitur, sicut Sanctus Paulus dum suas narrat visiones, recte is ageret. Quod si quis de peccato se jactet, novum peccatum committit; maximumque hoc est sæcularium hominum crimen, qui ea inverecunde prædicant, quorum esset illis erubescendum. Hujus se peccati Sanctus Augustinus accusat, veniamque a Deo poscit: *Et præceps, inquit, ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, cum audiebam vos jactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent, & libebat facere, non solum libidine facti, verum*
Godeau Theol. Mor. Pars I. Q etiam

etiam laudis. Quid dignum est vituperatione
vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam,
ubi non suberat, quo admissio æquarer perditio
fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer
abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior
berer, quo eram castior (lib. 2. Conf. cap. 3.)

Jactantia etiam peccatur, cum proximo
injuria. Medicus exempli gratia se nimium
stans infirmis, ut in se confidant, persuadet, sed
que ignorantia illos interficit: hic mortaliter peccat.
Idem de avvocato dicendum, qui clientibus
persuadet, ut sua sibi negotia committant
quæ inscitia sua labefactat: hic ad restitutionem
tenetur.

Peccatum mortale est jactantia, quando cum
Dei injuria & contemptu est conjuncta; veluti
quis bonum opus sine Dei auxilio se fecisse jactaret:
vel cum gravem proximi contemptum
nexum habet; veluti si miles, ut sua merita ex-
geret, ignaviæ alios accusat; aut si Judex colle-
gas suos inscitiae, aut injustitiae arguit.

§. III.

Hypocrisis.

Hypocrisis juxta S. Thomam (2. 2. q. III.) est
simulatio virtutis. Verbis autem, aut operibus
virtus fingi potest; operibus, quando aliqua
exterior actio virtutis fit, quæ non habetur; ver-
bis, quando ita quis loquitur, quasi talem habe-
ret virtutem. Exempli causa impudicus homo